

sit, more ac modo debito, munus benedictionis impensum et te ac eos constet existere sacerdotes, auctoritate praesentium concedimus de gratia speciali.

§. 3. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum apud urbem veterem secundo Idus Septembris, pontificatus nostri anno tertio.

Dat. die 12. Septembris 1263.

(Bull. r. t. III. p. 708. Ed. Aug. Taur.)

*Paulo Esterhazii priori generali ordinis monachorum sancti Pauli primi eremitae suisque in generalis prioratus officio successoribus indultum pontificalium et facultas utendi habitu ad instar praelatorum, etiam in urbe, necnon monachis professis tonsuram et quatuor minores ordines conferendi aliaque privilegia perpetua conceduntur.*

*Clemens PP. XIV.*

Ad perpetuam rei memoriam.

§. 1. Decet romanum Pontificem cui divinitus dispensationis ratio credata sit, ad ea vota, per quae personarum sub suavi religionis jugo Altissimo famulantium, uberesque bonorum operum fructus illo, a quo bona cuncta procedunt, donante, proferre assidue satagentium decori et commoditati per amplius consulitur, libenter intendere, ac in iis pastoralis officii sui partes favorabiliter interponere, prout in Domino conspicit salubriter expedire.

§. 2. Exponi siquidem Nobis nuper fecit dilectus filius Paulus Esterhazii prior generalis ordinis monachorum sancti Pauli primi eremitae, quod cum ipsius institutum ad monachorum ordinem per Nos apostolica auctoritate pertinere declaratum fuerit et aliorum odinum hujusmodi generalis nonnullis gratis et privilegiis pari auctoritate sibi ipsi concessis ornati reperiantur, hinc dictus Paulus eisdem praerogativis facultibus in sui ordinis decus et ornamentum, in sacrum monachorum spiritualem commoditatem ipsum ejusque in generalis prioratus hujusmodi officio successores uti posse plurimum desiderat. Nobis propterea humiliter supplicari facit, ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

§. 3. Nos igitur ipsum Paulum specialibus, favoribus et gratis prosequi volentes et a quibusvis excommunicationis suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, eidem Paulo et successoribus suis ordinis monachorum sancti Pauli primi eremitae prioribus generalibus quaecumque existentibus, ut in monasteriis ejusdem ordinis mitra et baculo ac anulo pastoralibus et etiam cruce ac sandaliis et aliis ornamentis, quibus pontificali dignitate praediti utuntur, cum quibus sacra facientes incedent, ad instar seu eodem prorsus modo aliorum generalium ordinum monachorum hujusmodi in diebus festis solemnioribus, nempe nativitatis et paschalis resurrectionis Domini nostri Jesu Christi, pentecostes, assumptionis Beatae Mariae

virginis ac in die sancti Pauli primi eremitae uti ac etiam post nocturnas seu matutinas horas necnon missam decantatam et vespas, benedictionem solemnem post missarum, vespas, matutinorum et aliorum divinarum solemnium supra populum tunc interessentem, dummodo inibi dioecesanus seu alius antistes vel aliquis apostolicae Sedis legatus praesens non sit vel, si praesens fuerit, ejus ad id expressus accedat assensus, elargiri ac christifidelibus hujusmodi benedictioni interessentibus etiam decem dierum indulgentias et peccatorum remissiones concedere seu decem dies de injunctis eis seu alias quomodolibet debitis poenitentis relaxare et publicare in forma ecclesiae consueta et singulos ordinis praedicti monachos professos ad hoc idoneos clericali characterem insignire et ad quatuor minores ordines simul vel successive, prout expediens fuerit, quibusvis festivitibus promovere necnon indumenta, ornamenta et paramenta ecclesiastica, libros, imagines, cruces, campanas, calices, vasa et tabernacula quaecumque ecclesiarum et monasteriorum dicti ordinis ac altaria eorum benedicere easdemque ecclesias vel earum coemeteria et alia loca ecclesiastica quovismodo pollutas vel polluta, aqua tamen per aliquem catholicum antistitem, ut moris est, benedicta reconciliare habitumque praelatorum more coloris albi cum mozzetta et mantelletto, etiam in romana curia gestare ipse Paulus prior generalis libere et licite possit et valeat ejusdemque Pauli priores generales successores praedicti ordinis perpetuis futuris temporibus respective possint et valeant, auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus et indulgemus.

Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem die 23. Julii 1770.

Decreta authentica. Tom. III. Pars II.

(Bull. r. Contin. t. IV. p. 213. Ed. Romae.)

Abbat. Congreg. Olivetanae ordinis s. Benedicti.

*Approbatio et Confirmatio Decreti Sacrae Congregationis Rituum super usu baldachini et assistentium et aliorum ministrorum pro Abbatibus Congregationis Olivetanae Ordinis s. Benedicti.*

*Urbanus Papa VIII.*

Ad perpetuam rei memoriam.

Exponi Nobis nuper fecit dilectus filius Sylvius Favilla de Neapoli Procurator generalis Congregationis Monachorum Montis Oliveti, quod Venerabilibus Fratibus nostris S. R. C. Cardinalibus sacris Ritibus praepositis emanavit Decretum tenoris subsequenti, videlicet: Instante Patre Dom. Sylvio Favilla de Neapoli Procuratore generalis Congregationis Monachorum Montis Oliveti, nomine Abbatum ejusdem Congregationis, ut attentata antiquissima consuetudine solemniter cum Baldachino et Assistentibus in eorum Ecclesiis celebrandi recederetur quoad eos a decretis alias hac de re editis in causis Firmana 28. Jan. 1606. et in Neapolitana 18. Martii 1617. Sacra Rituum Congregatio, saepius audito eodem Procuratore generali et rationibus ab eo deductis mature consideratis, Illustrissimo et Reverendissimo D. Cardinali Caesarino referente, censuit et declaravit, in hac parte recedendum esse a dictis Sacrae Congregationis decretis et licere Abbatibus Olivetanis solemniter, in tribus tantum anni festivitibus, celebrantibus ut Baldachino, sine auro tamen et pompa, necnon assistentia unius Presbyteri et duorum Diaconorum ac aliorum sex ad summum Monachorum sacris indumentis coloris solemniter

convenientis paratorum, ultra Diaconum et Subdiaconum, qui in missa centantur sunt evangelium et epistolam: atque ita, ut iidem Abbates nullo modo teneant sedem abbatialem fixam et permanentem prope Altare, ut sedes episcopalis retineri consuevit, sed eorum sedes retineatur in Ecclesia iis tantummodo diebus, quibus solemniter celebratur, et dicti sex Monachi ut supra parati non in sedibus choralibus, sed super scabellis sedeant in situ congruo, juxta Ecclesiarum convenientem situm tunc appositis, panno laneo coopertis: dictis sacrae Congregationis Decretis in causa Firmana et Neopolitana editis alias in suo robore permansuris. Die 17. Martii 1629.

§. 2. Cum autem, sicut eadem expositio subungebat, Sylvius praefatus plurimum cupiat Decretum hujusmodi pro firmiori illius subsistentia inviolabilique observatione Apostolicae nostrae Confirmationis robore communiri,

§. 3. Nos specialem illi gratiam facere volentes eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes supplicationibus dicti Sylvi, ejusdem Congregationis nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati decretum praesertim hujusmodi cum omnibus in eo contentis apostolica auctoritate tenore praesentium perpetuo approbamus et confirmamus illique inviolabilis apostolicae firmitatis robor adjicimus ac omnes et singulos tam juris quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

§. 4. Decretum hujusmodi necnon praesentes literas, valida firma et efficacia esse et fore suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere.

Datum Romae apud sanctum Petrum die 5. Aprilis 1629.

(Bull. r. t. V, p. 182. Ed. Luxbg.)

*Dilecto Filio*

*Dominico Joanni Giovanetti abbati infulato parochialis ecclesiae Castri novi de Garfiniana Lucanae dioecesis.*

*Pius PP. VI.*

Quae a Nobis postulasti, quamvis difficilime concedenda esse arbitramur, ne nimia privilegiorum facilitate ea vilescerent, quum tamen tuum fidei ac religionis zelum tuamque summam in Nos et in hanc sedem devotionem perpendimus, tuis precibus annuere statuimus.

Exponi siquidem Nobis nuper fecisti quod Nos alias precibus dilectorum filiorum publicorum repraesentantium illius terrae et communitatis de castri novo de Garfiniana Lucanae dioecesis Nobis humiliter porrectis annuentes hanc parochialem tuam ecclesiam sub titulo ss. Petri et Pauli in abbatiam prioralem infulatam perpetuo instituimus atque ereximus tibi ac abbatibus hujusmodi tuis successoribus legitime inrantibus ac pro tempore existentibus sub certis conditionibus usum pontificalium concessimus, prout in Nostris diei vicesimae quartae Maji millesimo septingentesimo nonagesimo primo hisce desuper expeditis literis, quarum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis haberi volumus, fustus continetur. Cum autem, sicut eadem expositio subungebat, indultum hujusmodi per Nos ampliari

summopere desideres, Nobis propterea humiliter supplicari fecisti, ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Nos meritorum tuorum intuitu te specialibus gratis et favoribus prosequi volentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, tibi tantum, ut in actu benedicendi populum cum ss. Eucharistiae Sacramento, qui orationi quadraginta horarum per annum consuetae interfuit, pontificalibus vestibus indutus e sacrario tuae ecclesiae praedictae egredi, in pontificalibus praeter consuetas festivitates in aliis etiam quatuor solemnioribus ac frequentioribus anni diebus solemniter missae in cathedra sine tamen baldachino ac cum faldistorio assistantibus dumtaxat diacono et subdiacono et assistente interesse ac in diebus festis Purificationis beatae Mariae virginis, feria quarta cinerum, dominica palmarum et Sabbato majoris hebdomadae mitra uti libere ac licite respective possis ac valeas, servata tamen in reliquis earundem Nostrarum literarum forma ac dispositione auctoritate apostolica tenore praesentium de speciali dono gratiae concedimus et indulgemus.

Datum Romae die 11. Sept. 1794.

(Bull. r. Continuatio t. IX. p. 364 Ed. Rom. 1845.)

*Pius PP. VII.*

*Dil. Filio Abbati Monast. B. V. M. de Valdigna.*

Sincerae tuae in Nos et hanc sanctam sedem fidei et devotionis aliisque virtutum meritis, quibus te insignitum esse accepimus, adducimur, ut te paterna benevolentia prosequamur teque tuosque in abbatia, quam obtines, successores honoribus libenter decoremus.

Cum itaque sicut Nobis nuper exponi fecisti, tu, qui monachorum ordinis Cisterciensis in monasterio beatae Virginis Mariae de Valdigna dioecesis vel provinciae Valentinae abbas existis, privilegio deferendi pontificalia, ut asseris, in ecclesiis tui ordinis donatus, eadem pontificalia etiam in aliis ecclesiis, quae ad dictum ordinem minime spectant, eodem privilegio frui posse plurimum desideres,

Nos te praemissorum meritorum tuorum intuitu specialibus gratis et favoribus prosequi volentes, supplicationibus hujusmodi inclinati tibi ac tuis in dicta abbatia successoribus in perpetuum, ut in quibuscumque tam saecularium quam regularium ecclesiis extra tamen almam urbem Nostram existentibus, ac requisita prius loci ordinarii licentia pontificalia deferre et in pontificalibus celebrare libere et licite possis et valeas dictique tui successores abbates pro tempore existentes pariter possint et valeant auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus et indulgemus.

Datum Romae die 31. Jan. 1804.

(Bull. r. Contin. t. XI. p. 125.)

*Ordinis Monachorum*

*S. Basilii.*

Quae a s. m. Alexandro Papa VII. usque ab anno 1658. V. Cal. Oct. in C. S. R. coram se habita sancita fuere circa usum Pontificalium Praelatis Episcopo inferioribus concessorum, quaeque insequenti anno 1660. XIII. Cal. Sextiles de ipsius S. C. consulto magis etiam declaravit in responsionibus datis dubiis a procuratore Gen. Cong. Casinensis propositis confirmans, quae praescripta sunt anno superiori 1659. praeter ea, quae habentur num. V. VI. VII. VIII. ac XVII. in quibus ob peculiare rationes, in aliquibus dis-

pensavit Alumnos Cong. ipsius, adeo semper rata habuit Apost. haec S. S. ut singulis successive propositis dubiis Alexandri VII. decretis standum esse rescripserit S. R. C. Immo s. pariter m. Benedictus Papa XIV. \*) praeter alia in re definita edixit, ut memorata Alexandrina decreta iterum typis cuderentur, ac eorundem exemplar transmisit ad omnes per orbem Ep. et Archiep. cum apposita sua Epistola data pridie Cal. Apr. 1744., in qua singulis commendavit eorundem decretorum observantiam atque omnes monitos voluit, ut pro munere incumbere atque urgerent, ne quidquam fiat contra ea, quae in decretis ipsis sapienter injuncta sunt. Neque insequentibus temporibus aliquid supradictis decretis non apprimè conforme declaravit S. ipsa R. C. vel Summi Pont. indulgere; immo immortalis m. Pius Papa VII. Constitutione sua: *Decet Romanos Pontifices* data IV. Non. Julii anno 1823. non modo ad observationem revocavit et quatenus opus esset iterum adprobavit ac sancivit, quae per Praedecessores suos, praesertim Alexandrum VII. et Benedictum XIV. decreta fuere vel alias a S. R. C. praescripta, verum ibi decretum confirmavit, quod memorata C. R. ediderit VI. Cal. Sept. anno 1822. super declaratione privilegiorum circa usum Insignium pontificatum, quibus ex Sedis Apostolicae Indulto nonnullae gaudent Dignitates etc. Haec singula prae oculis habens SS. m. Pius Papa IX. ac serio perpendens, quae in supplici Libello suo exponebat Rmus P. Visitator Gen. Monachorum S. Basilii, requirens num sui Ordinis Abbates revocare debeat ad observantiam decretorum Alexandri VII. circa usum Pontificalium, quum ex iisdem aliquis arbitretur decreta ipsa forsitan modi-

\*) Vd. infra p. 625.

ficata vel decursu temporis iis derogatum vel dispensatum saltem in parte fuisse, referente subscripto S. R. C. Secretario, eidem Visitatori Gen. Ord. S. Basilii, attentis expositis potestatem fecit revocandi Abbates quoque ad observantiam omnium decretorum, quae super re edita fuere, praesertim ut non liceat eis Pontificalia exercere nisi in propria eccl. et si ex speciali Indulto s. Apost. Sedis ex eis quisquam agere possit Pontificalia etiam extra propriam Eccl., nullatenus liceat hoc privilegio uti nisi de expresso Rmi Ordinarii consensu. Contrariis non obstantibus quibuscumque. N. 5058. Die 18. Dec. 1846.

*Ad dubia* 1. An Abbas memoratae Colleg. Eccl. gaudens usu Mitrae et Baculi pastoralis uti possit Mitra auriphrygiata et Baculo episcopali vel potius alterius formae et ab illo distincto?

2. An frui possit hujusmodi privilegio Pontificalium intra suam eccl. tantum vel potius in omnibus eccl. civitatis et dioecesis?

3. An induere possit, deferre et gestare Mitram, baculum pastorem aliaque insignia pontificalia interveniens processionibus aliisque divinis officiis et functionibus ecclesiasticis, quibus Archiep. intervenit?

4. An absente Archiep. sed interveniente Capitulo Metropolitano, quod privilegio Pontificalium gaudet, processionibus aliisque ecclesiasticis functionibus ac divinis officiis possit Abbas s. Spiritus gestare Mitram et Pastorem an Mitram tantum?

Et S. eadem C. . . rescribendum censuit

Ad 1. „Negative, sed Mitra tantum ex tela simplici et Baculo abbatiali cum velo.“

Ad 2. „In propria eccl. tantum as-

signatisque diebus juxta Constitutionem s. m. Pii Papae VII.: *Decet Romanos Pontifices*.“

Ad 3. „Negative in omnibus.“

Ad 4. „Negative.“

Atque ita servandum mandavit. N. 5075. Die 27. Febr. 1847.

*Abbatum Congreg. Coelestinae Ord. s. Benedicti.*

*Urbanus Papa VIII.*

Ad perpetuam rei memoriam.

Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Henricus Fortuna, procurator generalis totius Congregationis Monachorum Coelestinorum Ordinis sancti Benedicti, quod nuper a Venerabilibus fratribus nostris S. R. C. Cardinalibus sacris Ritibus praepositis emanavit decretum tenoris subsequentis, videlicet:

§. 1. Cum sacra Rituum Congregatio alias de anno 1606. sub die 18. Januarii ad instantiam Archiepiscopi Firmani prohibuerit Priori sanctae Catharinae Ordinis Canonicorum Regularium in eorum Ecclesia usum baldachini et aliquarum caeremoniarum et de anno 1617. sub die 18. Martii idem Decretum ad instantiam Cardinalis Carafae Archiepiscopi Neapolitani extenderit ad omnes Priores et Abbates cujuscumque Ordinis, etiam Cassinen., R. P. D. Henricus Fortuna de Monte Leone Procurator generalis totius Congregationis Monachorum Coelestinorum Ordinis s. Benedicti aegre ferens hujusmodi Decreta tamquam praejudicialia antiquissimae consuetudini solemniter celebrandi cum baldachino et assistentibus in eorum Ecclesiis instetit audiri in eadem sacra Congregatione super dicta antiquissima eorum consuetudine. Et commissa

causa Illustrissimo et Reverendissimo Cardinali Antonio Barborino, coram quo, audito saepius dicto Procuratore generali Coelestinorum et rationibus ab ipso deductis bene perpensis, eodem Illustrissimo ac Reverendissimo Antonio referente, sac. Rituum Congregatio re mature discussa censuit in hac parte recedendum a superscriptis decretis de anno 1616 et 1617. et declaravit, licere Abbatibus Coelestinis in tribus tantum anni festivitibus solemniter celebrantibus uti baldachino, sine auro tamen et pompa, necnon assistentia unius presbyteri et duorum Diaconorum ac aliorum sex ad summum Monachorum sacris vestibus coloris solemnitati respective conventus indutorum, duorum nempe cum Pluvialibus, duorum cum Planetis et aliorum duorum cum Tunicellis, ultra Diaconum et Subdiaconum, qui in Missa cantaturi sunt Evangelium et Epistolam: dummodo iidem Abbates nullo modo teneant sedem abbatialem fixam et permanentem prope altare, ut sedes episcopalis retineri solet, sed eorum sedes retineatur in ecclesia iis tantum diebus, quibus solemniter ut supra celebrari debet, et dicti sex Monachi, ut supra parati, non in sedibus choralibus sed super scabellis sedeant in situ congruo juxta ecclesiarum convenientem situm tunc appositis, panno laneo coopertis, firmis in reliquo remanentibus superscriptis sacrae Congregationis in Firmana et Neapolitana decretis editis die 30. Junii 1629.

§. 2. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, dictus Henricus plurimum cupiat, decretum hujusmodi pro firmiori illius subsistentia et inviolabili observantiae Apostolicae nostrae confirmationis robore communiri,

§. 3. Nos dictum Henricum speciali

gratiae favore prosequi volentes et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati decretum praeinsertum hujusmodi cum omnibus in eo contentis Apostolica auctoritate tenore praesentium perpetuo approbamus et confirmamus illique inviolabilis Apostolicae firmitatis robur adjicimus ac omnes et singulos tam juris quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

§. 4. Decretumque et in eo contenta hujusmodi ac praesentes literas valida, firma et efficacia esse et fore suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere ac eidem Congregationi in omnibus et per omnia plenissime suffragari.

§. 5. Sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari et definiri debere ac irritum et inane, si secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, decernimus et declaramus.

§. 6. Non obstantibus praemissis ac Constitutionibus et Ordinationibus apostolicis caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem die 26. Septembris 1629.

(Bull. r. t. V. pag. 191. Ed. Luxbg.)

*Abbat. Congreg. Camaldul. Ord. s. Bened.*

*Confirmatio Decreti editi a sacra Rituum Congregatione ad favorem Abbatum Congregationis Camaldulensium Monachorum Ordinis S. P. Benedicti super usu Baldachini ac facultate celebrandi solemniter in Pontificalibus.*

*Urbanus Papa VIII.*

Ad futuram rei memoriam.

§. 1. Nuper pro parte dilecti Filii Desiderii Arigonii seu Bardellonii de Mantua, Procuratoris generalis Congregationis Camaldulensis Nobis expositum fuit, quod alias a Venerabilibus Fratribus nostris Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus sacris Ritibus praepositis emanavit decretum tenoris subsequenter, videlicet:

Eminentissimo et Reverendissimo Domino Cardinale Columna referente ad instantiam P. D. Desiderii Arigonii seu Bardellonii de Mantua Procuratoris generalis Congregationis Camaldulensis nomine Abbatum ejusdem Congregationis, ut attentata antiqua consuetudine solemniter cum Baldachino et Assistentibus in eorum Ecclesiis celebrandi recederetur quoad eos a decretis alias hac de re editis in causis Firmana 28. Januar 1606 et Neapolitana 18. Martii 1617, sacra Rituum Congregatio censuit licere Abbatibus Congregationis Camaldulensis, quando solemniter celebrant, quod in tribus tantum quolibet anno festivitibus eis facere permittitur, uti baldachino, sine auro tamen et pompa, cum assistentia unius Presbyteri et duorum Diaconorum ultra Diaconum et Subdiaconum pro cantandis Evangelio et Epistola, ac sex aliorum ad summum Monachorum, sacris vestibus indutorum, quorum duo assistant cum pluvialibus, duo cum planetis et duo cum tuni-

cellis coloris tempori convenientis et dummodo iidem Abbates nullo modo teneant sedem abbatialem fixam et permanentem, ut sedes episcopalis retineri consuevit, sed eorum sedes retineatur in Ecclesia his tantummodo tribus diebus per annos singulos, quibus Abbates solemniter celebraturi erunt et dicti sex Monachi, ut supra parati, non in sedibus choralibus sed super scabellis sedeant in loco congruo juxta Ecclesiae convenientem situm ad hunc effectum tunc appositis, panno laneo coopertis, dictis sacrae Congregationis decretis in causa Firmana et Neapolitana editis alias in suo robore permansuris. Die 11. Augusti 1632.

§. 2. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, dictus Exponens decretum hujusmodi apostolicae nostrae confirmationis robore communi summopere desideret,

§. 3. Nos illum favoribus et gratiis prosequi volentes et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesertim dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes supplicationibus illius nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati decretum praeinsertum apostolica auctoritate tenore praesentium approbamus et confirmamus illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adjicimus ac omnes et singulos tam juris quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerunt, supplemus.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem die 15. Sept. 1632.

(Bull. r. t. V. pag. 243. Ed. Luxbg.)

*Privileg. Abbatum Congreg. Cassinens. alias s. Justinae Monachorum Ordinis s. Benedicti utendi Pontificalibus benedicendique populum et consecrandi lapides pro altarium usu.*

*Pius PP. IV.*

Sedis Apostolicae circumspecta benignitas devotorum consuevit justis annuere votis et his, quae divini cultus respiciunt augmentum animarumque salutem, libenter intendere.

§. 1. Exhibita siquidem Nobis pro parte vestra petitio continebat, quod cum in diversis Monasteriis necnon locis regularibus vestrae Congregationis Cassinensis, alias sanctae Justinae de Padua, diversa Altaria, Capellae, Cappellaniae et alia pia loca in dies erigantur et saepe crescente numero presbyterorum religiosorum ejusdem Congregationis, Altaria benedicta deficiant.

§. 2. Nos volentes commoditati Religiosorum dictae Congregationis ac eorum devotioni in praemissis opportune consulere et ipsam Congregationem favoribus et gratiis prosequi, eidem Congregationi et singulis illius Abbatibus pro tempore existentibus, qui licet quinquennales sint, nihilominus ex privilegio apostolico eidem Congregationi concesso, *Baculo pastorali ac Mitra pontificali in Ecclesia Monasteriorum, in quibus Abbates pro tempore deputati existunt, uti et benedictionem pontificalem post divina officia Christifidelibus inibi existentibus elargiri consueverunt, quoscumque lapides marmoreos vel prophyrios vel alios ad usum altarium portatilium accommodandos, pro usu quorumcumque utriusque sexus dictae Congregationis Monasteriorum, Prioratum et Ecclesiarum et aliorum piorum locorum, super quibus intra claustra eorundem Monasteriorum et Priora-*

*tuum seu septa Ecclesiarum et aliorum piorum locorum hujusmodi dumtaxat, Missae celebrari possunt, consecrare vel benedicere, Ordinariorum locorum licentia desuper minime requisita, libere et licite valeant, plenam et liberam licentiam et facultatem auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus et indulgemus.*

§. 3. Decernentes concessionem et indultum hujusmodi necnon praesentes literas, sub quibusvis vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus vel derogationibus per Nos et quoscumque Romanos Pontifices praedecessores et successores nostros quomodolibet factis vel faciendis nullatenus comprehensas, sed semper exceptas ab illis existere, et quoties illae emanabunt, toties in pristinum et validissimum statum restitutas et de novo concessas esse.

§. 4. Non obstantibus quibusvis etiam revocatoriis constitutionibus et ordinationibus apostolicis per Nos et per quascumque Cancellariae regulas editis et edendis ceterisque contrariis quibuscumque.

Dat. Romae apud s. Petrum die 6. Julii 1565.

*Abbat. Congregat. Cassinens. alias s. Justiniae de Padua.*

*Urbanus Papa VIII.*

Ad futuram rei memoriam.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecit dilectus filius Dominicus Pinellus Monachorum Ordinis S. Benedicti Congregationis Cassinens. alias sanctae Justiniae de Padua Procurator generalis, quod alias a Venerabil. Fratribus nostris S. R. C. Cardinalibus sacris Ritibus praepositis emanavit Decretum tenoris subsequen. videlicet: Cum alias de anno 1606. sub die 28. Januarii

Sacra Rituum Congregatio instante Archiepiscopo Firman. interdixerit Priori Sanctae Catharinae Ordinis Canonorum Regularium in eorum Ecclesia usum aliquarum caeremoniarum, et de anno 1617 sub mense Martii illud Decretum ad instantiam bon. mem. Cardinalis Caraffae Archiepiscopi Neapolitan. extenderit ad omnes Priores et Abbates cujuscumque Ordinis etiam Cassinens., ab hoc Decreto reclamavit procurator generalis Cassinens. et ad Sac. Congregationem recursum habuit asserens suam Congregationem indefensam fuisse, et re mature ac diligenter discussa referente bon. mem. Cardinale Lancellotto sacra Congregatio de anno 1618. sub die 12. Martii censuit, quoad usum Baldachini et quorundam Ministrorum in aliis Decretis prohibitorum recedendum esse a praedictis Decretis de annis 1606 et 1617 emanatis et licere iisdem Abbatibus, quando solemniter celebrant, ut baldachino et apparatu juxta eorum antiquissimam consuetudinem, ita tamen, ut modeste cum debita convenientia, sine pompa et auro, atque in tribus ad summum festivitatis quolibet anno utantur, prout in dictis Decretis latius continetur. Nunc demum Archiepiscopus Florentin. ad Sac. Congregationem accedens instetit prohiberi Abbati S. Marie ejusdem Civitatis Florentinae Ordinis Cassinens. usum Baldachini et dictorum Ministrorum et aliarum multarum caeremoniarum in dedecus et praepjudicium suae archiepiscopalis Dignitatis vergentium et citato et interveniente Petro Domino Dominico Pinello ejusdem Congregationis Cassinensium Procuratore generali et partibus saepe ac saepius auditis ac negotio diligenter discusso, referente Illustrissimo ac Reverendissimo Domino Cardinale Pio, eadem Sacra Rituum Congregatio inhaerendo dicto ultimo Decreto

facto de anno 1618 censuit et declaravit: licere Abbatibus Cassinens., quando solemniter celebrant, quod in tribus ad summum festivitatis facere eis permittitur, ut baldachino, sine auro tamen et pompa, et aliquibus etiam ministris, paratis sacris indumentis. Quia vero numerus horum ministrorum in aliquibus eorum monasteriis erat valde excessivus, vetuit ac prohibuit, ne iidem abbates solemniter ut supra celebrantes alios possint habere ministros sacris indumentis paratos quam duos Diaconos et Presbyterum assistentes, Diaconum et Subdiaconum pro cantandis Evangelio et Epistola ac sex ad summum alios, duos cum Pluvialibus, duos cum Planetis et duos cum Tunicellis coloris temporis convenientis, quoad reliqua vero in dictis decretis de annis 1606 et 1617 emanatis Sacra Congregatio eadem decreta confirmavit et quatenus opus sit, innovavit, inhibens omnibus abbatibus Cassinensibus ac serio praecipiens, ut in reliquis omnibus ea ad unguem inviolabiliter observent; eorumque dispositioni addidit, ut supradicti abbates nullo modo debeant nec possint habere nec tenere sedem suam abbatialem fixam et permanentem prope altare, ut sedes episcopalis retineri consuevit, minusque liceat supradictis sex monachis paratis, ut supra, sedere in sedibus choralibus, ut Canonorum saecularium mos est, sed sedes pro abbate solemniter celebrante retineatur in Ecclesia iis tantummodo tribus diebus, quibus ipse abbas solemniter celebret, dictique sex monachi parati sedere debeant loco congruo juxta Ecclesiarum convenientem situm super scabellis ad hunc effectum tunc appositis panno laneo coopertis. Die 29. Januarii 1628.

§. 2. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, Dominicus praedictus plurimum cupiat praeinsertum decretum

hujusmodi, quo firmiter subsistat et inviolabiliter observetur, apostolicae nostrae confirmationis robore communi, Nos ejus votis hujusmodi annuere illumque specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati praeinsertum decretum hujusmodi apostolica auctoritate tenore praesentium perpetuo approbamus et confirmamus illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adjicimus ac omnes et singulos tam juris quam facti et quovis alios defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint aut intervenisse dici vel censi possent, supplemus.

§. 3. Decretumque hujusmodi necnon praesentes literas cum omnibus in eis contentis, semper et perpetuo valida, firma et efficacia existere et fore suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere ac eidem Congregationi illiusque abbatibus ac monachis et personis in omnibus et per omnia plenissime suffragari neque illos a quoquam quavis auctoritate super praemissis quovis modo impediri, molestari, inquietari vel perturbari unquam posse nec debere.

Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem die 11. Junii 1628.

(Bull. r. t. V. p. 189. Ed. Luxbg.)

b) *Abbas non benedicti.*

Petitur a S. Rituum Congregatione declarari: *An abbas saecula-*